

AD ARTIC. CXLIV.
ARGUMENTUM.

Præsumtio inculpatæ tutela à viro contra feminam insultantem allegata non facile admittitur, sed illa legitimè probanda est.

EXEGESIS.

Si quis feminam occidat, & pro se alleget exceptionem inculpatæ tutelæ, tum, nisi illam manifestò probare possit, præsumtio cessat. Petenda autem hoc in casu probatio est:

(1) *Ex qualitate viri & mulieris*, an femina sit robustior, & animosior viro: item numquid illa sit ad iram prona, & in tali statu posita se continere nequeat, sed impetum in aliquem faciat.

(2) *Ex occasione rei seu negotii & loci*. Numquid illi duo inter se contulerunt, vel nunquid femina viro minata sit: aut nunquid vir in loco quodam commodo expectarit, ipsaque in eum inopinatum & nihil mali metuentem fecerit impetum, ut non potuerit commodè evadere.

(3) *Ex qualitate armorum*, an illa habuerit telum lethale, cultrum, ferrum, vel aliud simile: vir autem armis non adeò fuerit instructus: vel si ea habuerit, propter insultationem cum armis lethalibus vim illatam coactus fuerit repellere, & ita ex necessitate se defendere.

(4) *Ex facto*, numquid illa virum vulneraverit, aut nondum ob præventionem viri propositum suum potuerit deducere in actum, aut quemnam alium pugnandi modum ipsa adhibuerit.

Quibus ita exactè investigatis & examinatis, jūdicandum erit juxta sententiam JCtorum, numquid illi ex ipsis adductis, & quadam tenus probatis circumstantiis estimare possint, an contra feminam à viro adhibita fuerit defensio necessaria, id est, vir coactus fuerit vim ab insultante femina sibi illatam, ob quam adductus sit in discrimen vis, vi contraria, etiam cum insultantis cæde, repellere. Quamvis